



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**In Vaticinia Isaiae, Prophetæ Clarissimi, Paraphrasis,
Heroico carmine conscripta**

Carpenteius, Joannes

Antverpiæ, 1588

Cap. 38.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68688)

36 Egressus est autē Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centū octoginta quinque millia. Et surrexerunt manē, & ecce omnes cadauera mortuorum.

37 Et egressus est, & abiit: & reuersus est Sennacherib rex Assyriorum, & habitauit in Ninive.

38 Et factum est, cū adoraret in tēplo Nefroch Deum suum, Adramelech & Sarasar filii eius percusserunt eum gladio, fugerūtque in Terram Ararat, & regnauit Assaraddon filius eius pro eo.

Cap. 38.

1 In diebus illis egrotauit Hezechias vsque ad mortē: & introiuit ad eum Isaias filius Amos propheta, & dixit ei, Hæc dicit Dominus, Dispone domui tuæ, quia moriēris tu, & non viues.

36 *Vt ventum ad cadem, iam non auis, arripit hastam
Feralem, generiq; hominum, generique animantium,
Quam manibus mors ipsa suis, ter mille venenis
Tinxerat, & tinctam monstro donarat eunti,
Vtique erat aërea pendens è nube, iacentes
Supra acies, somnòque graues, vinòque sepultas,
In medios telum torsit fatale maniplos:
Hasta volans terras inter, calumque, sed ipsi
Iam propior terra (dictu mirabile) multas
Dissilit in partes, qua castra per omnia latè
Dispersa huc illuc, vix vllò sospite, diram
Vulgauère necem: nunquam antea sanguine tanto
Sautum, largi-ve magis fluxere cruores
Hostili iugulo: nam ferrum (credere forsan
Nolet posteritas) ferrum (inquam) tota virorum
Millia per nouies viginti & quinque cucurrit.*

*Detexit radiis Sol matutinus Eois
Nocturnam stragem: rex tot miratus aceruos,
Totque vagis proiecta iacere cadauera campis,
37 Funestas acies damnatàque castra reliquit,
Attonitùsque, Nini patriis se mœnibus abdit.
38 Hic dum sepositis agit otia libera curis,
Votàque pro reditu saluo solennia soluit,
Ante aras ipsūque Dei puluinar Ara sci
(O vatum nunquam mendax, sed credita tantum
Euentu prudente fides! O ferrea fata!)
Natorum exceptus scelere insidiis que suorum,
Sontem animam infelix media inter sacra profudit.
Illorum scelus Armenia texere latebra,
Regnū autem, & vacuā profugis iam fratribus aulā
Occupat Assaradon alieni criminis hares;
Hic sauo vitæ finis regni que tyranno
Cui magnum fuerat ludus contemnere numer.*

*At verò belli curis confectus acerbis
Hesechias, longaque laboribus obsidionis,
Lethalem infecto contraxit ab aëre morbum,
Iamque videbatur spes deplorata salutis,
Cū visum Amosides admissus talibus agrum
Aggreditur: Ne spera ultra producere vitam
Hesechia: iam meta tibi suprema peracta est.
Soluere tempus equos, & lampada tradere cursu,
Et regno, rebùsque tuis virtute merentem
Præficere, vt cum sit proles tibi nulla superstes,*

Dignior

Ararat, sive Ararath regio Armeniæ campestris & magnæ vberitatis.

Cap. 38.

Mortē denuntiat nō ex dispositione diuina, sed ex causis secundis: morbus enim talis erat, vt humana ope sanari non posset.

Dignior imperij duris succedat habenis.

² *Obstupuit, vocemque simul vultumque repressit
Hefechias, & se sponda interiore reflectens,*

³ *Vt primum fari potuit, & reddita mens est;*

Dicitur his summum verbis orasse Tonantem:

Magne parens sine fine bonus, sine fraude fidelis,

Quem nulla abstruso quantum vis clausa recessu

Corda latent, qui res hominum sensu sive repostos

Perspicis, o operum inspector iudexque meorum,

Simplicitas tibi nota mea est, & candor ab omni

Parte nitens, & mens vani nihil indiga fuci.

Scis pater, (& quis te magis testis idoneus ipso

Esse potest?) quam te coram, & tua numina falli

Nescia sincero me semper pectore purum

Præstiterim, vitij osorem, & virtutis amantem:

Et nunc, heu quia nam nostri tibi cura recessit,

Vt mea florentis præcidere fila iuuenta,

Ante diem, nullaque super stite prole iuberes?

Hæc ille ingeminans, singultibus ilia crebris

Rumpebat, fletuque genas vorante rigabat.

⁴ *Motus ad has lacrymas cælo respexit ab alto*

Orantem Deus omnipotens; & vate vocato,

⁵ *Vade (ait) & misero perfer mea nuntia regi,*

Hæc tibi me celeres iussit mandata per auras

Ferre Deus, Deus ille tui quem sanguinis auctor

Præcipuo coluit Dãuides semper honore:

Audiui gemitus tristi de pectore fusos,

Et vidi lachrymas vultu pallente fluentes,

Te cælo auxilium quaesisse iuuabit ab alto:

Ne dubita, producta tux iam linea vita est.

Ecce ego, quem mortis penes est vitæq; potestas,

Detextos auxi ter quinis mensibus annos,

Quas securus ages, & lata per ocia, ⁶ bellis

Liber ab Assyriis, sospesque, & mox pater, urbem

Præsida me & custode beata in pace tenebis.

⁷ *Quoque minus dubites, præsens hoc accipe signum:*

⁸ *Ecce vides (nam forte horas signata notabat*

Machina, sublimi pendens à vertice turris)

Ecce vides, ut sol deuexo pronus olympo,

Obliquam decimi notula super ordinis umbram

Iecerit extremas vergens ad limitis horas:

Respice iam, & totidem gradibus retro abisse videbis,

Et quo nunc ibat, versos agere axe iugales.

⁹ *Restitit*

Felix iustitia
quæ inter af-
flictiones bo-
norum operu
recognitione
se ipsam con-
solatur.

² Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum,

³ Et dixit, Obsecro Domine, memento quæso quo modo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et fleuit Ezechias fletu magno.

⁴ Et factum est verbum Domini ad Isaiã, dicens,

⁵ Vade, & dic Ezechia, Hæc dicit Dominus Deus David patris tui, Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, ecce, ego adiciã super dies tuos quindecim annos,

⁶ Et de manu regis Assyriorum eruam te & ciuitatem istam, & protegam eam.

⁷ Hoc autem tibi erit signum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus est:

⁸ Ecce ego reuertam faciam umbrã linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole, reuertum decem lineis. Et reuertus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.

9 Scriptura Hezechie regis Iuda cum egrotasset, & conualuisset de infirmitate sua.

10 Ego dixi, In dimidio dietum meorum vadam ad portas inferi: quasi residuum annorum meorum.

11 Dixi, Non video Dominum Deum in terra viventium: non aspiciam hominem ultra, & habitatorem quietis.

12 Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum: precifa est, velut à texente, vita mea: dum adhuc ordier, succidit me: de mane usque ad vesperam finies me.

13 Sperabam usque ad mane, quasi leo sic contriuit omnia ossa mea: de mane usque ad vesperam finies me.

9 Restitit Hesechias, oculosque ad regia tor sit
Culmina Achasæe turris, solémque regressum
Miratus, duplicesque manus ad sidera tendens,
Grata Deo tales in versus prae resoluit:

10 O quoties, cum me nuper crudelis haberet
Morbus, & ipse metus morbo violentior omni
Exhaustum longis cruciatibus exederet cor,
Et fera mors, telum ante oculos falcemque coruscans
Terribilem, caput hoc iam demessura veniret:
O quoties dixi: Me sic cine morte perire
Ante diem propera? mediòque virentis in aui
Flore rapi? nudòque pede illatibilis Orca
Claustra rigentia, & irremeabile tangere limen?
Nam quæ iam misero mihi spes super vlla salutis?
Quid querar? aut quid ego fugitiuos deprecer annos?
Præteriere illi rapidis velocius austris,
Et quos sperabam, mors importuna repente
Præsecuit.

11 Sacra ò quondam mihi chara valete,
Quæ vltimos inter viuens letusque peregi:
Numine non ultra dabitur presente fruiscei,
Nec coram dulces haurire & reddere voces.
Et vos, quos eadem stirpis mihi iunxit origo,
Et non fictus amor, nostri pars magna, valete.
Non ego vos, vita mihi cætus dulcior ipsa,
Aspiciam posthac: mors, mors mihi commoda cunctæ
Præripit, & spem vno omnem votaque proruit ictu.

12 Eheu, quam subitis pereunt ingentia causis!
Qui modo pace frui visus stabilique quiete,
Laudabar regno, & florentibus integer annis,
Non secus ac rapidis eversa mapalia cauris
Attonito pecore, attonitis pecorumque magistris,
Hinc rapior, solique throno detrusus eburno
Ad caua busta trahor, prima lanugine nuper
Detonsa, medio nondum mihi stamen in orsu
Concidit abruptum: quo more, puella choreas
Festinans positis hilares inuisere pensis,
Aut anus indignata operi, iam pollice fesso
Fila secant, radioque odiosa que stamina turbant:
Sic ego, sic celeri mea turbine vita rotatur
Tam fragilis, quam quæ grauidi sub pondere fusi
Lana leuis pendens expectat pollicis ictum
Virginæ, me mane vrgens, me vespere morbus,
13 Ieiunique molens mea viscera more leonis.

Admonet

*Admonet iratis non fidere temporis horis,
Nec sperare diemmerso iam sole, nec illo
Ex oriente, nouos nocturni sideris ignes.*

*14 Ah quibus ingemui lacrymis, quibus ignibus arsi,
Febre per ardentem fusa crudeliter artus!
Non me luctu sonis implumis hirundo querelis,
Non viduus celsa mærens à turre columbus
A Equasset, crebros iterantem pectore fletus,
Denique clamabam: Vim proh pater optime diuim
Vim patior, victusque graui succumbo dolori.
Sancte parens, ser opem presso, succurre labanti,
Nam potes: atque actor si postulet, ipse satifida,
Fæque vadem siste hac in causa penè perempta.*

*15 Ah, quid ego demens ab eo vadimonia posco,
Qui petit ipse & agit, cui summa petitæ luenda est?*

*Hæc ego dum meditor, dum saeuo percitus æstu,
In mentem reuoco fortuna dona prioris,
Et reputo quàm fluxa hominum res, vitæque vana,
Nulla recordantem quæ præteriere voluptas
Afficit: 16 imò mali redeunt in corda dolores,
Visque recrudescit morbi, penitusque medullas,
Et tabescentes violentior exedit artus,
Et tamen ille statim depulsus corpore cessit.*

*17 Postquam contentus me corripuisse, merentem
Eripuisti Erebo, ne dira morte perirem,
Postque tuum mea proieci crimina tergum:
Vt sensu illorum memori de pectore prorsus
Deleto, iam te solum, & tua numina gratas
Commemorem: 18 nec enim nigro quos amne coërcet
Styx in amæna palus, Acheronque rubentibus undis
Claudit, & immani mors atra absorbet hiatu,
In tua damnatas soluent præconia linguas,
Nec fidei promissa tuæ certissima fontes
Sperabunt, quos orcus habet, manesque profundi.*

*19 At nos, vitali qui per te vescimur aura,
Ipseque ego, ante alios, cui munere reddita nuper
Vita tuo, muti simul organa rettulit oris,
Carminibus tua facta nouis, laudæque sonabo,
Notæque erit seris, me vate, nepotibus olim
Iustitiæ vis recta tua, pietasque fidæque.*

*20 Denique dum viuam, dum spiritus hos reget artus,
Nunc fidibus, nunc voce tua celebratus in æde,
Tu mihi carmen eris, rerum Pater optime semper,*

X

Iusque

Contra Epicurum, qui sentiebat bonorum præteritorum recordatione mala presentia mitigari.

Idem sed aliis verbis Dauides: Nō mortui laudabunt te, neque omnes qui descendunt in infernum.

14 Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba: attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum: Domine vim patior, responde pro me.

15 Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit: recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

16 Domine si sic uiuitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & uiuificabis me.

17 Ecce, in pace amaritudo mea amarissima: tu autem eruisti animam meam vt non periret, proieci post tergum tuum omnia peccata mea.

18 Quia nō infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

19 Viuens uiuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.

20 Domine saluū me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

21 Et inquit Iaias vt
tollerent massam de
fici, & cataplasmarēt
super vulnus, & sana-
retur.

22 Et dixit Ezechias,
Quod erit signum
quia ascendam in do-
mum Domini?

Cap. 39.

1 In tempore illo mi-
sit Merodach Baladā
filius Baladan rex Ba-
bylonis, libros & mu-
nera ad Ezechiam:
audierat enim quod
agrotasset, & conua-
luisset.

2 Latatus est autem
super eis Ezechias, &
ostendit eis cellā aro-
matum, & argenti, &
auri, & odoramento-
rum, & vnguenti op-
tini, & omnes apo-
thecas supellectilis
suae, & vniuersa quae
inuenta sunt in the-
sauris eius. Non fuit
verbum quod non of-
fenderet eis Ezechias
in domo sua, & in
omni potestate sua.

Iusque tui firmum & nunquam variabile pacti.

21 *Talibus orabat iam sanus, & ulcere prorsus
Integer obducto, miseris quod serpere membris
Desierat, sicu (miranda potentia) fotum
Contusa bonus Amosides quam triuerat ipse,
Emplastrumque noua validum confecerat arte,
Quod simul admotū est, fugit omnis corpore morbus,
Et dolor, & veteres rediere in pristina vires.*

22 *Obstupuit subita percussus imagine rerum
Hesechias, duplicesque manus ad sidera tendens,
Hoc erat, hoc signum caelo mihi (dixit) ab alto
Spondebas Pater, & rursus tua templa videre
Spemq; fidemq; dabas: rata sunt, quaecūque precamur:
Non haec humanis opibus, non arte magistra
Proueniunt, tua me genitor, tua dextera seruat.*

1 *Fama retrogressi solis duplicatāque lucis
Producta meta attonitum perterriti orbem,
Et circum late volitans, per rura, per vrbes,
Vsq; Semiramiae magnam Babylonis ad urbem
Pertulerat, Phaebo Auroram stupuisse reuerso:
Palluit insoliti noua rex ad nuntia monstri,
Merodacus Baladane satus, quo doctior alter
Non erat astrorum occubitus ortusque notare.
Ergo, quidquid erat, vicibus quod sidera mundi
Peruersis, foedum possent aut triste minari,
Muneribus statuit missis, scriptoque piare,
Depulsum morbum, & reducem gratante salutem.*

2 *Lata viro fuit haec tanti legatio regis,
Principibus spectanda viris, & diuite cultu.
Ergo salutatois verbis compellat amicus,
Amplexusque ducem dextra, comitesque sequentes
Pragrediens, vario tempus sermone leuabat,
Nunc hoc, nunc illud, si quid spectabile monstrans.
Vt ventum ad sedes, veterumque palatia regum,
Interiorque domus regali splendida luxu,
Cardinibus patuit motis, & diues odoris
Cella peregrini, quis eburnis condita thecis
Vnguenta, & plenos onyches, alabastrāque succis
Enumeret? quos miscet Arabs, quos decoquit Indus,
Et quos thurilegis Panchaia mittit arenis?*

*Exin progressus, priscorum araria regum,
Thesaurōsque aperit: iacet ingens copia facti
Infectique aurī argenti que immobile pondus:*

Immensa.

Non spernen-
da medicina
que vfu & ex-
perimēto cō-
stat, nam &
hāc Deus fe-
cit.

Hūc quidam
patrem Na-
buchodono-
soris fuisse
putant.